



FRidleuus filius fuit Frothonis magni regis Dania. Hic à patre in Rusciã educandus missus, ut rerũ peritiã assequeretur. Verũ cũ Frotho mortuus esset, atq; Daniã proceres Fridleuũ extinctũ putarent, Hiarno Poëta in regiũ soliũ euectus fuit. Id cũ Fridleuus percepisset, primo Noruagios & Sueones in suas partes p̄traxit, & postea in Daniã cũ exercitu profectus Hiarnonẽ suppressit, & magno populi studio regnũ occupauit. Inde Amundi Noruagię regis filiã uxorē petijt. Cum autẽ Amundus legatos eius offendisset, atq; generum hunc respuisset, Fridleuus exercitu comparato in

Noruegiã profectus, Amundum uicit, & filiam eius Frogertham sibi coniunxit. In reditu Draconem mirę magnitudinis interfecit, & thesaurum ab eo custoditum accepit. Ex Frogertha Fridleuus filium Frothonem 4 progeniuit, quem etiam moriens, successorem regni reliquit. Floruit opinor Fridleuus eo tempore quo Christus dominus noster suo sanguine genus mortalium redemit, fuit enim eius Frothonis filius, sub cuius administratione Christus in lucem natus est. Ab eo Frothone ad Gothricum usq; qui sub Carolo Magno uixit, nullius regis tempus assignauit Saxo Grammaticus, Septentrionalium populorum Historicus, uerũ per octingentos annos continua orationis serie omnia confundit. id quod etiam in ijs regibus, qui Christi natiuitatem antecesserunt, factum fuisse constat. Itaq; cum alium ex senioribus scriptorē neminem habemus, qui eius gentis historias contexuerit, nos pro uirili, coniecturis & successione regum usi, eos in certa tempora digessimus, & huic nostro operi inseruimus. Hoc enim potissimum in eloquentissimo illo scriptore desideramus, præterea quod quãdoq; fabulas ueritati commiscuissẽ uisus fuerit, quarum tamen nos rationem quoq; habuimus, & intermisimus. Sax. Gram. lib. 6,